

S. HILDEGRINVS PRAESVL HALBERSTATENS.



Sanctus Hildegrinus Thiatgreuno patre & Casburga matre natus, eruditione & sanctitate sua tempestate celeberrimus extitit. Itaq; Carolus Magnus, qui post Saxones deuictos plurimos Episcopatus, & inter eos quoq; in Osteruuick primo Halberstatensem erexisset, hūc Hildegrinum primum eius Ecclesiæ preſulem constituit, atq; eum locum multis arcibus, oppidis, & pagis locupletauit. Vnde Hildegrinus eam functionem suscipiēs, rudem populum in uerbo Dei erudit, atq; ueram rationē salutis per Christum ostendit. Deinde passim in sua ditione parrochias numero triginta quinq; atque multa monasteria constituit & fundauit. Postea etiam templum Cathedrale erexit, atq; in honore Dei & S. Stephani dedicauit. Cum autem post Caroli obitum eius filius Ludouicus pius Aquisgra-